



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

269. Christus proditorem suum manifestat Ioanni in cæna.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

medite : Hoc est corpus meum, *Matth.* 26.
 v. 26. *Marc.* 14. v. 22.

II. Et accipiens calicem, gratias egit : &
 dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes.
 Hic est enim sanguis meus novi testamenti,
 qui pro multis effundetur in remissionem
 peccatorum. *Matth.* 26. v. 27. & 28. *Marc.*
 14. v. 23. & 24.

III. Et biberunt ex illo omnes. *Marc.*
 14. v. 23. Dico autem vobis : Non bibam
 amodo de hoc genimine vitis, usque in diem
 illum, cum illud bibam vobiscum novum in
 regno Patris mei. *Matth.* 26. v. 29. *Marc.* 14.
 vers. 25.

MEDITATIO CCLXIX.

*Christus proditorem suum manifestat
 Ioanni in cena.*

I. ERat recumbens unus ex discipulis ejus
 in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. In-
 nuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei :
 Quis est, de quo dicit ? Itaque cum recu-
 buisset ille supra pectus Iesu, dicit ei : Domi-
 ne, quis est ? *Ioan.* 13. v. 23. 24. 25.

II. Respondit Iesus : Ille est, cui ego in-
 tinctum panem porrexero. Et cum intin-
 xisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.
 Et post buccellam, introivit in eum Sathanas.
 Et di-

Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. *Ioan. 13. 6. 26. 27. 28. 29.*

III. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox. *Ioan. 13. vers. 30.*

MEDITATIO CCLXX.

Christus trinam Petri negationem ter predicat.

Prima Predictio.

I. Cùm ergo exisset, dixit Iesus: Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges. *Ioan. 13. 6. 31. 33. 36. 37. 38.*

Sec